

legimus. Psalm. LXIX, 8. LXXX, 5. 8. LXXXIX, 9. Esa. III, 15. Jerem. XV, 16. Hof. XII, 6. Amos. III, 13. &c. Nomen istud in Graeco etiam retinuerunt Paulus Rom. IX, 29. & Iacobus cap. V, 4. illudque per *Σαβαώθ* expresserunt. Dubio procul ortum habet haec appellatio ab augustissimo, quod in tantum potentissimae diuinae gubernationi subiacentium exercituum numerum ipsi competit, imperio, quibus cunctis ipse praest, quique omnes ipsi subsunt, quos singulos vel admonentis nutum intentos esse oportet. Est sane 1) *Exercitus Coelestis*, non solum hominum beatorum, sed etiam angelorum, 2) *aethereus*, syderum, Deut. IV, 19. Iud. V, 20. Act. VII, 42. 3) *Elementaris* Ioel. II, 25. Sap. XII, 8. 4) *Ecclesiasticus* Num. IV, 23. Psalm. CXVIII, 15. Cant. VI, 3. 9. 5) *Infernalis*, Marc. V, 9. Luc. XI, 21. Eph. VI, 12. Quintuplex hic exercitus instar aciei instructissimae procedit singulis diebus ordinatissime, ac iussa creatoris promte & celerrime exequitur, partim pro Numinis gloria pugnando, partim praepotenti creatori obsecundando ac gloriam eius celebrando, partim punienti Deo inseruiendo, Sap. V, 18. 21. Tanto igitur imperatori summo cuius ab obtutu tellus commota tremiscit, merito titulus conuenit: **אלהים צבאות**. (k) Interim ridenda venit illorum imperitia, qui Deum absolute & in casu recto vocant: ZEBATH. **אלהים צבאות** vt hactenus ostensum, significat *Exercitus*, seu creaturas coeli & terrae, quarum non nomen, sed creatio, conseruatio & gubernatio Deo tribuitur, siue non dicuntur de eo in casu recto & subiectiue, sed in casu obliquo & obiectiue. Nec obstat 1) quod nomen Dei **יהוה** quod saepe praepositur, regimen non admittat. Vel enim subintelligendum est nomen **אלהים** quod expresse additur Hof. XII, 6. Amos III, 13. c. V, 16. cap. VI, 8. 14. vel cum AVGVSTO VARENIO Dedac. Mosaic. in Genesin. Dec. II. Loc. I. C 3 concl.

(k) Complura Scripturae S. dicta, bellicam Dei virtutem declarantia, ipsumque veluti **אלהים צבאות** Exod. XV, 3. depraedicantia, congeffit PETRVS DANIEL HVETIVS Demonstrat. Euang. Propos. VII. p. m. 583. & p. 608.